DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
CHIRURGICA
FISTULAE LACRYMALIS
CURATIONE MULTIPLICE

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRAESIDE

D. JOANN. CHRISTIANO REIL

REGI BORUSS. A CONSILIIS RERUM METALLICARUM SUPREMIS MED. CHIRUR. ET PHILOS. DOCT., THERAPIAE PROF. PUBLIC. ORDIN. INSTITUTI CLINICI DIRECTORE, FAC. MED. H. T. DECANO, SOCIET. REGIAE SCIENT. HAFNIENSIS, ACADEMIAE SCIENTIARUM REGIAE BOICAE SODALI, SOCIET. PHYSICO-MEDICAE MOSQUENSIS, MEDICO-CHIRURGICAE BERNENSIS, MEDICAE VENETAE, SCHOL. MEDIC. PARISIENSIS, FACULT. MED. CHIRURG. LUCENSIS., ACAD. IMPER. NATUR. CURIOS., SOCIET. CHIRURG. ET PHARM. BRUXELLENSIS, SOCIET. MED. ET CHIRURG. ANTVERP., SOCIET. MED. PRACTICAE MONSPELIENSIS, SOCIET. SCIENT. ET ARTIUM, QUAE MOGUNTIAE FLORET, SOCIETATIS MED. PER HELVETIAM CORRESPONDENTIS, SOCIET. PHYSICO-MEDICAE ERLANG. ET WETTERAV., NEC NON SOC. REI RUSTIC. PRACT. DUCAT. MAGDEB. PRINCIPAT. ANHALT. ET COMITAT. MANSFELD. SODALI

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

LEGITIME IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

JOANN. ADAM BRINGOLF

SCAPHUSINO-HELVETUS.

DIE XXVI. MAJI A. MDCCCXII.

HORIS ET LOCO SOLITIS.

BEROLINI.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

15.

VIRO

EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMOQUE

CAROLO RUDOLPHO ISENSCHMID

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, FELICISSIMO UTRIUSQUE USU CLARO, NOSOCOMII AB INSULA DICTI CHIRURGO ORDINARIO, COLLEGII SANITATIS ATQUE SOCIETATIS MEDICO - CHIRURGICAE BERNENSIS MEMBRO, NEC NON SOC. MINERALOGICAE JENENSIS SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET PATRONO

DE SE REBUSQUE SUIS MERITISSIMO

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM

PRIMITIAS

VENERATIONIS CAUSSA

D. D. D.

AUCTOR.

SECTIO PRIMA

DE

VIIS DIVERSIS, QUAS HACTENUS IN FISTULA LACRYMALI MANU CURANDA MEDICI LAUDARUNT ET SECUTI SUNT.

§ 1.

Curationes manuales ante cognitam morbi sedem et naturam usitatas recenset.

Etsi jam viginti retro abhinc seculis quoad formam et adspectum medicis innotuit affectus ille frequentissimus, quem hodieque *fistulam lacrymalem* vulgo nuncupant, rationalem tamen magisque securam ejus curationem non prius quam ineunte seculo praeterito, invenire atque tradere coeperunt. Veteribus enim, carunculam

v. c. in angulo oculi interno residentem lacrymarum officinam habentibus, utut viarum lacrymalium, ita quoque morbi naemorati adeo manca tantum fuit notitia, ut in curationes omnis generis rudes et absurdas inciderent. Nimirum *Hippocrates* [a]) hunc adfectum solis collyriis sanandum credidit. Com. *Celsus* [b]), qui cum cancro narium eundem confunderet, cauteria et caustica applicari suasit, quibus postmodum *Galenus* [c]) partium ossearum, forsitan jam carie correptarum, terebrationem subjunxit. Atque sic omnes illius aevi scriptores chirurgici, excepto forsitan *Paulo Aegineta* [d]), qui primus terebrae ministerio viam lacrymas ad nares conducentem parari praeciperet, fistulam lacrymalem sic dictam, pro symptomatum eminentiorum diversitate, modo exulcerationis, fungi aut calli viarum lacrymalium, modo corruptelae cariosae ossium unguis nariumve instar tractarunt. Postmodum *Arabes*, quaecunque a viris memoratis accepe-

---

a) Praenot Conc. n. 219.

b) De medicina Lib. VII. cap. 7. § 52.

c) Lib. V. de composit. pharmacor. sec. loca.

d) De arte medendi Lib. VI. cap. 22.

rant, bona fide recitarunt, ita tamen ut praeterea vel injectiones, compressiones atque fila in vias apertas immittenda praeciperent. Quos excepit *Guido* de *Cauliaco*, qui dum saccum lacrymalem ad fundum usque aperiri, vulnus linteo carpto repleri atque postridie demum caustica imponi hortaretur *e*), mitiorem utique medendi rationem aequalibus suis tradidit. At non ita post bene multi, in quibus tantum *Fernelium*, *Forestum*, *Sennertum* et *Cowperum* nomino, auctore maxime *Paraeo* *f*), qui vel hunc in finem instrumentum peculiare depinxit, rudem ominosamque ustionis methodum, jam aliquamdiu haud immerito diffamatam et rejectam denuo commendarunt atque strenue persecuti sunt: alii, in quibus v. c. *Thevenius*, *Charter*, *le Clerc* et *Verduc*, quamvis fistulam lacrymalem adhuc recentem pro re nata modo cultro aperire, modo adstringentibus et comprimentibus *g*) localiter tractare solerent, in-

---

e) Chirurg. magnae tract. 4. doctr. 2. cap. 2. de fistula lacrymali.

f) Opp. Lib. XVII. cap. 15.

g) vid. *Sculteti* Armament. chir. tab, 21.

veteratam tamen, *Fabricium Hildanum* h) secuti, haud absque setacei adminiculo ad sanationem perduci, nec non ob cariem forsitan jam exortam euphorbio ad partem vitiatam applicando opus esse, existimarunt. Verum enim vero, simulatque tum viarum lacrymalium fabricam et functionem, tum adfectus persanandi sedem et naturam accuratius edoceri coepissent medici, deficere etiam non potuit, quin paullatim, relictis et explosis cauteriis tam ominosis, ad inveniendam curationem et mitiorem tutioremque et sanae rationis praeceptis magis consentaneam ducerentur. Quae quam habeatur multiplex, quantoque ejusdem perficiendae studio hucusque intenta fuerint subtilia inventorum ingenia, loco sequente paucis ostendere conabor.

§ 2.

Recentiores fistulae lacrymali manu medendi methodos, easque accuratiori morbi notitiae superstructas generatim complectitur.

Ex illo tempore, quo propriam continentem-

---

h) Observatt. chirurg. Cent. IV. obs. 19. Cent. V. obs. 3 et 22.

que fistulae lacrymalis caussam in viarum lacrymalium earumque praeprimis ductus nasalis obstructione aut obliteratione plenaria repererunt medici, omnis etiam curationis manualis cardo potissimum in aperiendis canalibus interclusis promovendoque legitimo lacrymarum per nares defluxu verti coepit. Atque bina quidem hunc in finem inventa sunt auxiliorum genera, quorum alterum reserandae viae obstructae, alterum formando, quo forsitan opus esse videretur, canali novo inserviret. De singulis nunc seorsim dicam, necesse est.

§ 3.

De ductu nasali obstructo vel obstipato artificialiter reserando.

Quoties autem in praeternaturali ductus nasalis obstructione vel angustatione morbi caussa haeret, duplex itidem habetur medendi ratio, aliis nimirum viam interclusam nonnisi post sacci lacrymalis incisionem, aliis illam absque hac praemissa reserare solitis [i]).

---

i) Vid. apud SCHREGERUM in ejusd. *Grundriſs der chirurg. Operationen. Fürth* 1806. p. 44.

Methodus postremo loco memorata auctorem habet *Anelium*, qui canalem nasalem contra naturam angustatum aut obstructum injectionum beneficio aperire atque dilatare studuit. Quibus vero quoties incassum usus fuerat, specillum capitatum argenteum idque flexibile, per punctum lacrymale superius in canaliculum lacrymalem indeque in ductum nasalem immisit, usquedum in locum occlusum incidisset, quem instrumento protrudendo perforaret [k]). Neque vero tunc temporis utique novum prius auxilii genus fuisse putandum est, siquidem jam pridem *Rhazes* injectionum mentionem fesisse dicitur [l]). Methodo *Anelianae* non ita post aliam superstruxit *Mejean*, qui specillum acus instar fenestratum idque filo serico transmisso instructum inde a puncto lacrymali superiore ad extremum usque ductum nasalem protrudendum, atque hoc ubi factum est filumque e naribus prodiit, huic lintei carpti tantillum alligandum posteaque sursum in canalem nasalem reducendum praeciperet. Ab *Anelio* porro cel. *la Forest* modo eatenus deflexit, ut posteaquam obstructionis auferendae caus-

k) Meth. de guerir les fist. lacr. Turin 1713.

l) *Theodor. Cerv.* Chir. lib. III. c. 2.

sa specillum Sforme per aperturam ductus nasalis inferiorem cum successu immiserat, per syringam ejusdem formae cannula flexibili praeditam injectiones adhiberet m). Methodum sat artificiosam eamque ex Aneliana et Mejana compositam *Cabani* n) in medium protulit. Is nempe specillum, quod in punctum lacrymale superius immissum indeque in canalem lacrymalem protrusum fuit, instrumenti peculiaris beneficio prehensum e naribus protrahit. Extremae vero parti protractae cannula argentea eaque flexibilis affigitur, quae in canalem nasalem sursum retracta, injectionibus excipiendis inservit. Saccum lacrymalem injecto hydrargyro puro repleri, quam quidem methodum etiam inclytus *Beer* o) magno cum fructu secutus est, *Blizard* p) suasit eumque in finem tubulo vitreo, cui subtilior chalybeus insertus agglutinabatur, usus est. De-

m) Mem. de l'academ. de chirurgie Tom. II. p. 175.

n) Mem. de l'acad. de chirurg. ibid. Pl. XIV. fig. 2.

o) *Repertorium über die Augenkrank.* 2 Th. pag. 64.

p) A new method treating de fistula lacrymalis. Lond. 1780.

nique *Palucci* q) chordam musicam tabuli aurei ministerio in canaliculum lacrymalem superiorem indeque in ductum nasalem demitti praecepit.

Quod vero ductus nasalis dilatationem interveniente praevia sacci lacrymalis incisione peragendam attinet, in utraque hacce operationis parte alios iterum aliam encheiresin secutos esse legimus.

Ita nimirum eorum, qui methodi prioris Anelianae futilitatem ostenderunt, omnium primus *Ludovicus Petit* r), ex multorum opinione *Stahlium* auctorem secutus, et injectionum specillorumque per puncta lacrymalia immittendorum loco, sacci lacrymalis incisionem semilunarem commendavit, et locum simul huic perficiendae aptissimum consignavit, adeo ut tum cuti, tum inprimis musculi orbicularis palpebrarum tendini parceretur. Atque hac utique medendi ratione recentioris basis atque fundamentum continetur. Eodem fere tempore *Alex. Monro* s),

---

q) Method. curandae fistulae lacrymalis. Vindob. 1762. p. 79.

r) Mem. de l'acad. des sciences de Paris 1734. p. 145.

s) Medical Essays and observations published by a society in Edinburgh. Vol. III. obs. 15. p. 262.

eandem sectionem, quam tamen modo ulceratione aut fungositate intus in sacco lacrymali prostante adhibendam crederet, ita peragendam esse docuit, ut specillo antea per punctum lacrymale intruso cutis ad latus tolleretur eoque modo impediretur, quominus sacci paries posterior laedi posset. Qua demum encheiresi praemissa, cutis sublata inciditur, ita ut culter per tendinem musculi orbicularis transversim ducatur sectioque peracta forficis ministerio dilatetur. Contra *Anton. Petit* t) anteriorem atque superiorem sacci lacrymalis partem incidendam proposuit. Sunt tamen multi, qui hanc methodum *Pouteauo* inventori tribuant. Habetur itaque, quod solam sacci lacrymalis incisionem hoc illove modo peragendam spectat, permagna opinionum diversitas, quibus vero, cum hac in re jam ill. *Schreger* u) jucundum otium nobis fecerit, amplius recensendis utique supersedere posse mihi videor. Memoratos praeter autores notari adhuc meretur Exp. *Helling* v), qui integumenta saccum lacry-

---

t) Quaestio: an impeditis lacrymarum viis parari debeat lacrymis artificiale iter etc. Paris 1766.

u) l. c.

v) Diss. de Fistula lacrymali. Traj. ad Viadr. 1801. p. 83.

malem ambientia adhibito scalpello acutissimo ad longitudinem linearum sex ab interiore oculi cantho genam versus incidi hortatur, ne scilicet fibrae musculi orbicularis palpebrarum transversim perscindantur, neque ligamentum interpalpebrale laedatur.

Alteram operationis partem, quae dilatando aperiendoque ductu nasali continetur, ex auctoribus diversis itidem alius alio modo absolvendam duxit. In quibus verbi caussa *Jurine* [w]) canalem obstructum, quem ante acus triquetrae ministerio aperuerat, primum filo serico per specillum aureum fenestratum immisso, postmodum vero adhibitis quinque xylinis, cera conglutinatis iisque sensim adauctis ampliare conatus est. *Monro* [x]), quoties ab incidendo sacco lacrymali curationem auspicatus erat, specilli triuncialis incurvi ministerio setaceum, remedio quodam digestivo illitum, in ductum nasalem immisit idque, donec interna sacci superficies depurata et callo veluti superinducta esset, singulis diebus mutandum curavit. *Antonius Petit* [y]), quo ductum nasalem aperiret amplia-

---

w) Journal de medecine 1791. Dec.

x) loc. cit.

y) loc. cit.

retque, simplici tantum specillo usus est. Inclytus *Richter* z), ut primum specilli Mejani vel acus triquetrae beneficio obstructionis caussam sustulit, chordam tenuem, ex intestinis contortam, eamque ex intervallo crassiorem, denique vero hujus loco specillum plumbeum in canalem nasalem immittit. Ab eo eatenus deflexit cel. *Ware* a), ut specillum argenteum per locum obstructum in cavitatem narium usque demitteret atque, canali sic aperto, rursus extraheret, alio vero ejus in locum succedente, quod etsi tenuius, capite tamen latiori praeditum esset. Aliam curandi methodum a *Schelleo* b) accepimus, qui specillum elasticum sat longum a annula argentea subtili exceptum idque infernas capitatum, superne autem instrumentulo sui generis argenteo ansulato munitum, per incisum saccum lacrymalem ductui nasali usque ad huius

z) *Anfangsgr. der Wundarzneik. 2r Th. §. 521 — 527. et 545.*

a) Remarks on the fistula lacrymalis with the description of an operation considerabel different from that comonel used. London 1798.

b) *Hufeland Journ. der pract. Heilk. VIIIr Bd. St.*

ostium in cavitate narium ingeri ejusque capitulo ex inferiore parte cannulae naribusque ipsis protruso setaceum, quod cannula tunc exemta sursum duceretur, annecti praeciperet. Nuper exp. *Helling* c), rejectis specillis capitatis acubusque textoriis, ad reserandas vias lacrymales specillis ex testa testudinis paratis, ad easdem conservandas pervias chordis ex intestinis contortis, ad exsiccandum denique sanandumque canalem nasalem saucium specillis plumbeis magno cum fructu usus est.

Methodi, quas alii viri eorumque inprimis Galli, inierunt qui tum cereolis, tum turundis ex linteo carpto paratis ductus nasalis per haec illave auxilia mechanica reserati dilatationem efficere studuerunt, apud ill. *Schregerum* d) consignatae legi possunt; quam ob rem earundem recensu hic tradendo non opus esse judico.

---

c) l. cit. pag. 42—44.

d) l. c. pag. 49—51.

§. 5.

Quas in canali artificiali per ossis unguis perforationem efficiendo medici hucusque secuti sunt, medendi methodos recenset.

Quantum ex antiquiorum virorum libris dis- i potest, jam pridem *Aetius* e) atque *Paulus Aegineta* f) de via, quae lacrymis per nares de- luxuris penitus interclusa esset, per ossium tere- rationem aperienda locuti sunt. Quid? quod tiam auctor postremo loco memoratus plenariam deo sacci lacrymalis divisionem, ne potius de- tructionem dixerim, jam suasisse videtur. Resec- is enim, inquit, partibus carnosis, ossis super- ciem radendam esse. Recentiores autem totam ancce operationem in binas partes divisere, qua- um prima sacci lacrymalis incisionem, altera erforationem ipsam complectitur. De utraque, uomodo peragenda sit, diversae habentur medi- orum sententiae, quas paucis pertractare liceat.

Quod praeviam sacci lacrymalis incisionem

---

e) Medicinae Tetrabitl. II. Serm. VII. cap. 82.

f) de arte medendi lib. VI. cap. 22.

spectat, *Woolhuysen*, cuius methodum a *Platnero* g) memoriae traditam accepimus, eam semilunarem esse atque ad os unguis perduci voluit. *Platner* ipse, eundem saccum penitus exstirpari praecipit. Eum primum transversim et antrorsum incidi, postmodum vero parietem posteriorem, donec os unguis denudatum fuerit, cultro dividi, cel. *Richter* h) suadet. Ceteri omnes, quantumvis quoad instrumentorum delectum et encheiresin a se invicem discrepent, in eo tamen conveniunt, ut illorum instar uno ore parietem sacci lacrymalis tum anteriorem tum posteriorem cultro diduci jubeant.

Alteram operationis partem v. c. *Mouro* i) ita perfecit, ut perforatis partibus osseis acum cannulatam, qua hunc in finem uti solebat, rursus eximeret ejusque loco specillum plumbeum cannulae in vulnere relictae ingereret. *St. Yves* k) omnium primus, qui acus triquetrae ministerio utebatur, eam oblique deorsum torquendo ita ad-

---

g) in diss. *Platneri* de fistula lacrymali.

h) l. c. T. II. §. 548.

i) loc. supra cit.

k) Vid. *Schreger*, l. c. pag. 54

hibuit, ut os maxillare inter ethmoideumque in nares perveniret. Specillo excavato eoque lateribus et mucrone acutis instructo *Woolhuysen* usus dicitur. [l]) Alii porro instrumentum sui generis, Gallis *Poussoir* dictum, alii trepanum acutum hunc in finem adhibent. *John Hunter* ope tubuli, margine acuto praediti, perforationem moliendam suasit, lamina cornea, quae instrumento metallico renitatur partesque reliquas una tueatur, antea in cavitatem narium immissa. Denique cel. *Richter*, cannularum omnium, tanquam auxiliorum incertorum, usum prorsus improbans, ossis perforationem ferri candentis, interdum vero etiam acus, quam olim semper adhibere solebat, Pottianae ministerio, ustione tamen praemissa efficit [m]). Quod reliquum est, alii secundum *Guerinum* [n]) et *L'Amorierum* [o]) setaceis aut cereolis, alii cum Acrelio stylo ligneo, alii, *Monroum* et *Bertrandium* secuti, turundis usi sunt, quibus canalem desubulatum apertum servarent.

---

l) Vid. *Platner.* diss. supra cit.

m) *Med. und chir. Bemerk. 1r Bd. S. 155.*

n) Trait. sur. les maladies des yeux pag. 118.

o) Mem. de l'acad. des sciences ann. 1729.

Sed haec hactenus de operationis memoratae historia, cum alia complura, quae huc pertinent, apud *Schregerum* p) conjunctim narrata legi possint. Ad eam potius auxiliorum chirurgicorum encheiresin, quam equidem ipse in diversis fistulae lacrymalis stadiis et generibus sequi vellem, exponendam mihi nunc transeundum est.

---

p) l. c. pag. 52. seq.

SECTIO ALTERA

AUCTORIS

DE FISTULAE LACRYMALIS CURATIONE CHIRURGICA ADMINISTRANDA SENTENTIAM TRADIT.

§ 6.

Medelae chirurgicae ad impeditum lacrymarum per vias naturales defluxum laudendae conspectum exhibet.

Dantur autem, sedis ratione habita, bina profluvii lacrymarum abnormis genera, quae passim apud auctores chirurgicos *fistulae lacrymalis* nomine veniunt. Alterum ex his, quod potius *blennorrhoea* eaque *organica* dici meretur, punctorum aut canaliculorum lacrymalium, alterum autem, de quo, licet fistulis perraro annumerando, potissimum hic sermo est, ductus nasalis angustatione, obstructione, obliteratione vel defectu congenito caussa continetur. De singulo ex his

manu curando quid observandum sit, seorsim dicam opus est.

§ 7.

De auxiliis chirurgicis in abnormi lacrymarum super genas defluxu ob canaliculorum punctorumve lacrymalium interclusionem nato tentandis.

Accidere autem potest, ut modo ob vulnera, ulcera, inflammationes aut cicatrices palpebrarum, modo ob insolitam humoris recepti spissitudinem viae, quae lacrymis in saccum lacrymalem traducendis inserviunt, modo demus ex vitio congenito interclusionem plus minus refractariam patiantur. Quod ubi est, lacrymae rivulo continuo super genas defluunt, absente tamen sacci lacrymalis turgore, quo signo vitii sedes maxime deprehenditur. Utique non defecit, quin interdum injectionis per siphunculos Anellianos applicatas aut specilla, quae eundem inventorem habent, in canaliculos lacrymales immissa malo mederentur. Utque primum de injectionibus dicam, haec nonnisi morbo adhuc recente quidquam auxilii promittunt. At enimvero, ubi vetustior hic est, lacrymis absorbendis, si quo fieri

licet modo, specillo in canaliculos lacrymales immisso via aperiri debet, quod tamen auxilium, obstructione altius penetrante, medentem plerumque fallit. Canaliculis demum lacrymalibus penitus occlusis, tantum abest, ut eorundem aperiendorum pericula quidquam proficiant, ut potius specilla hunc in finem adhibita aegrum sine fructu excrucient, imo etiam, partibus ejuscemodi perforandis, ad quae penetrare non debuisset, morbum jam prostantem augeant.

§ 8.

De curatione, quam fistula lacrymalis ita dicta poscit, chirurgica generatiom.

Quod *fistulam lacrymalem* vulgo nuncupant vitium organicum, praeterquam, quod sub eo lacrymae continuo super genas destillant, naso etiam ad latus affectum perpetim sicco atque haud obscuro sacci lacrymalis turgore sese prodit. Item et, quicquid in canaliculos lacrymales per siphunculos immittitur fluidae materiae, aut nonnisi ad saccum lacrymalem pervenit cumque majorem in modum distendit, aut vel illuc aditu simul superne intercluso, per puncta lacrymalia ilico rursus effluit. Vera peculiarisque morbi caussa *ductus*

nasalis interclusione continetur, quae simulatque simpliciter et inferne tantum orta prostat, saccum lacrymalem turgidum ad pressionem huic digito illatam exonerari humoremque in eo collectum e punctis lacrymalibus prodire patitur.

Ad hanc auxiliis mechanicis tollendam binae habentur curandi methodi, quarum altera eaque mitior solis injectionibus, altera violente ductus nasalis apertione atque dilatatione continetur. De utraque suo loco nunc dicendum est.

§ 9.

De curatione per injectiones tentanda quid statuendum sit.

Ut urgenti ductus nasalis interclusioni citra praeviam sacci lacrymalis incisionem mederi possent, praeter alia bene multa auxilia mechanica, eum in finem laudata, auctore *Anelio* injectiones etiam, quas inde a punctis lacrymalibus ad ductum nasalem usque penetrare eoque modo interclusionis caussam tollere posse credebant, in usum vocarunt medici. At enimvero, quam incertum hoc auxilii genus sit, jam exinde patet, quod omnium frequentissime non tam materiae in canalibus haerentis, quam potius parietum eam continen

tium ex vitio morbus emersus urget. Etiamsi porro illis, qui tantummodo muci in viis lacrymalibus haerentis eosque obstruentis caussa injectiones adhiberi volunt, illum per hasce quandoque solvi et eliminari posse haud aegre adstipularer, vix tamen et ne vix quidem quispiam intelliget, qui fieri possit, ut mucus inter lacrymas una prostantes tantam spissitudinem sibi contrahat. Itemque providam auxilii hujusce encheiresin in ductus nasalis obstructione ob ejusdem ipsius intumescentiam et relaxationem nata passim haud inauspicato tentatam esse, viris bonis atque diligentibus utique credimus. Verum enimvero, utut peculiarem hancce profluvii abnormis caussam forsitan prostantem detegere difficillimum est, sic et injectiones ad hanc laudatae modo rarissime commodi quidpiam praestant. Quae quoties tandem itentidem iteratae ad nares usque penetraverint, de intercluso ductu nasali testantur ideoque ceu vere inutiles penitus omitti debent. Praestat inter haec de canali obstructo vel obliterato quantocyus per valentiora auxilia mechanica aperiendo cogitare; quod, quomodo moliendum sit, loco sequente pertractabo.

§ 10.

De canalis nasalis interclusi apertione asperioribus auxiliis paranda.

Quamvis autem in omni fistula lacrymali ad injectiones adhibitas refractaria efficacissimum remedium largiri videtur sola operatio chirurgica, quae aperiendo dilatandoque ductu nasali continetur, tantum tamen abest, ut haec nunquam non sanitatem praestet, ut potius quandoque inutilis sit aut majora etiam incommoda adducat. Interim hac utique opus esse crederem quoties aut inflammatio sacci lacrymalis jamjam dissipata denuo redierit, aut dolores alte penetrantes, ulceratio aliaque symptomata ossium, quae ibidem sunt, carie exesarum suspicionem attulerint, aut denique sacci majorem in modum tumentis diruptio, ob supervenientem integamentorum degenerationem semper ominosa, pertimescenda sit. Enimvero, utut obliteratio ductus nasalis plenaria osseaque omnia hujusce dilatandi pericula eludit, sic etiam in stenochoria simplici, canaliculis quidem lacrymalibus adhuc ubique perviis, ab operatione dolorifica nec semper tuta utique absti-

endum est. Melius hoc in casu aegro consuli-
ur, si lacrymae collectae per lenem pressionem
acco lacrymali illatam ex intervallo evacuantur,
uo quidem adminiculo malum, etsi non tolli-
ur, tamen adeo levatur, ut exinde non majora
ncommoda proveniant.

Quod operationem ipsam attinet, haec in bi-
as dividi potest partes, quarum prima aperien-
o sacco lacrymali, altera recludendo ductu nasa-
i continetur.

Ut primum de *aperiendo sacco lacrymali* di-
am, aeger hoc modo persanandus in sella et
rope aliquam fenestram ita collocari debet, ut
uminis radii in angulum oculi internum incidant
jusque caput, medico ex adverso consistente a
ninistro retro prehensum atollatur. Sacco lacryma-
i pleno, integumenta, qua potissimum eminent,
ncidenda sunt. Utque ille durante incisione non
evacuetur atque collabatur, suadente Richtero si-
nul apices digitorum punctis canaliculisque la-
crymalibus apprimere expediet, quod tamen en-
cheiresi vix et ne vix quidem opus esse censeo.
Sacco contra, dum incidi debet, jam humoris va-
cuo, ante omnia margo orbitae inferior diligen-
ter quaeri debet. Quo reperto, mucro scalpelli
recti, ad lineae unius ac dimidiae distantiam in-

fra commissuram palpebrarum, cuti superjacenti infligi debet, ut acies bulbum respiciat. Incisio sic inchoata postmodum, scalpello medium saccum lacrymalem dividente, ad linearum binarum distantiam deorsum continuetur, usque dum, saccum apertum esse, ex humore prodeunte patebit. Denique, cultri mucrone versus os unguis directo, vulnus inflictum, quousque hoc opus videbitur, dilatandum est, ita tamen, ut sacci parieti posteriori perinde ac palpebrarum commissurae parcatur.

Quo facto, ductus nasalis aperiendi caussa specillum excavatum subtile idque capitatum in saccum lacrymalem immittitur indeque sensim torquendo in saccum lacrymalem immittatur. Quod ubi sat alte penetraverit, aeger pressionem inde sibi illatam persentiscet neque deficiet, quin specilli alius ejusque in nares immissi ministerio illud detegatur, quod jam in ductu nasali haeret. Saepe vero saepius illud tam alte inter conchas reconditum latet, ut tactu detegi prorsus nequeat. At hoc in casu nunquam deficere solet, quin aeger aeris inspirati accessum intra nares persentiscat, quem adesse, insuper etiam ex sanguine spumante in specilli sulco prostante cognoscitur. Itemque, ore atque altero narium

orificio clauso, spiritus e vulnere redditus percipi potest. Itaque recluso ductu nasali, chorda musica subtilis ex intestinis contorta eaque infernas rotundata, postquam oleo olivarum madefacta fuerit, in specilli relicti sulco decurrens leniter tardeque rotando ita protrudatur, ut in canalem nasalem perveniat. Eadem vero simulatque pruritus in faucibus intolerabilis atque vomiturio ipsius immissionem subsequitur, quod in fauces illapsi indicium est, extenus retrahi debet, quatenus haec symptomata post retractionem pacari coeperint. Interim sternutatio promoveatur aegerque ad crebram fortemque per nares exspirationem adigatur, sub qua cautela non deficiet, quin intra horarum duodecim aut viginti quatuor spatium specillum e naribus prodeat.

§. 11.

Quomodo ex operatione pertolerata convalescentes curare conveniat.

Recluso ductu nasali, ante omnia eo videndum est, ut immittendis chordis paullatim crassioribus tunicarum, quae instrumentorum adhibitorum injurias passae sunt, intumescentiae occurratur. Utque expeditius et citra magnum dolo-

rem eveniat cujuslibet chordae recentis crassioris applicatio, ejusdem pars extrema, priusquam in canalem saucium immittatur, usque eo radendo attenuari et laevigari debet, ut crassitiem prioris, quae in vulnere haeret, non exsuperet; quo facto, huic firmiter alligata per nares sursum trahatur. Hanc inter curationem, per mensem et quod excedit continuatam, injectiones una diligenter adhibendae sunt, quibus pus collectum ex intervallo diminetur. Simulatque quidpiam liquoris injecti haud impedite per nares defluere coepit, de exsiccando canali nasali cogitandum est. Hunc in finem corticis quercus infusionem, aut vegetatione forsitan nimis luxuriante, alumen aqua plantaginis solutum, aut denique, hoc ubi nihil profecerit, argenti nitrici fusi solutionem per siphunculum naribus ingeri praeciperem. Vulnere tandem puro et in sanationem prono, specillum plumbeum quod perperam nonnulli ilico post peractam operationem ingeri volunt, in canalem apertum immittatur. Diversa horum quoad formam dantur genera, quorum tamen conica eaque simul capitata ceteris preferrem. Ita vero eadem comparata esse debent, ut capitulum quo instructa sunt, internam sacci lacrymalis superficiem undique aequaliter contingat. In eodem

capitulo foraminulum esse debet, in quod filum sericum, emplastri adhaesivi ministerio postea fronti agglutinandum, immittatur. Ceterum vel hoc morbi spatio, donec nihil purulenti amplius e vulnere prodeat, injectiones continuandae sunt.

Complures, specillo exemto, vulneri sacci lacrymalis superstiti emplastrum, quod cicatricem acceleret, superimponi jubent. Attamen haec plerumque, reliqua curatione ceteroquin idonea, ultro sequitur. Antequam vero claudatur vulnus, obstructionis caussae penitus sublatae viae lacrymales undique perviae sint, necesse est. Quapropter sanatio matura modo in morbo ex noxis mechanicis forinsecus admotis orto tuta est. Contra, quoad aliquod diathesis communis vitium v. c. scrofulosum aut venereum corpus occupat, sanatio localiter secuta tam parum secura atque perpetua esse solet, ut potius aut vulnus clausum serius ocyus recrudescat, aut obstructio, quam sublatam putaveris, ipsa revertatur.

At vel nullo utique prostante aut sanato, quod adfuerat, diathesis universalis vitio quandoque accidere solet, ut vulnus modo nonnisi ad punctum exiguum usque claudatur, quod identidem liquorem lacrymis non absimilem plorat; modo sat cito ad cicatricem perductum, paullo

post denuo sese recludat. Cujus eventi caussam, quam vulgo ad stenochoriam prostantem revocare solent, abnormi potius secretioni in sacci lacrymalis tunicis atque pressioni mechanicae ibidem ob specillum exemtum nunc cessanti tribuendam existimaverim. Idcirco, hoc dum fit, cannula argentea, quae pressionem cessantem restituat ductusque nasalis perinde ac sacci lacrymalis parietes aequaliter extendat, ingerenda et per totam hominis aetatem in vulnere relinquenda est. Olim quidem cannulis ejusmodi eum tantum in finem usi sunt medici, ut harum beneficio nares lacrymis accessas facerent, aliorum commodorum, quae ab hac medela exspectanda essent, nullam utique rationem habere soliti siquidem ad latus una partibus undique comprimendis earumque tono conservando inserviunt. Sunt quidem nonnulli, qui hoc auxilio mechanico ductus nasalis saccique lacrymalis parietes graviter irritari, inflammari abnormesque ad secretiones exstimulari dicant. Verum experientia contrarium me edocuit, cum egregium effectum exinde conspicuum ipse in binis aegris, ab ill. Graefio ita curatis observandi occasionem habuerim. Vulnus postea non solum optime claudi, sed etiam sanatos ex inde nullam utique molestiam percipere vidi, lacrymis

libere atque expedite per nares defluentibus. Quid? quod neque ulla patet ratio, ob quam illarum usus pertimescendus esset, utpote cum ex auro confectae nihil contineant, quo vulnus irritari posset.

§. 12.

De canali novo, qui lacrymis e sacco lacrymali deducendis inserviat, per ossis unguis perforationem efficiendo.

Non paucos utique haec operatio habuit adversarios, qui praeprimis haec argumenta in medium proferrent; 1) prohiberi nullo modo posse, quo minus et aliae partes vicinae simul laedantur; 2) spatium ossis perforatum ob magnam ejus angustiam facile iterum obliterari, ideoque, cum os unguis aperturam sat latam fieri non permitteret, maxillam potius perforandam esse.

Quod autem primum periculum attinet, ab ossis perforatione metuendum, huic dextra instrumenti perforantis encheiresi utique occurri potest. Obliteratio porro canalis recens terebrati immittendo tubulo, de quo paulo ante dixi, auter optime praecavetur, siquidem hoc modo materiae osseae regenerationi in vulnere inflicto impedimentum sat grave opponitur. Apertura tan-

dem canalis nasalis penitus non adparente, dubio procul callositas prostat ideoque perforatio prorsus fieri nequit, experientia nempe docente, callum recens formatum firmitate reliquae materiae osseae longe antecellere, quem ad modum hoc in ossium fracturis iteratis cernitur. In his enim callum nunquam denuo dividi constat. Itaque perforatio hoc in casu tentata multum damni inferret. Denique si canalem pristinum reserare nollemus, merito quaeritur, ubi spatium formando canali novo aptum per os maxillare reperiri posset, quatenus a cavo narium aberrandi periculum effugere liceret.

Canalis novi formatio ibi tantum suscipi debet, ubi naturalis quoad universam ipsius longitudinem obliteratus est. Quoties ductus nasalis non obliteratus reperitur, lacrymas sacco contentas ad pressionem huic illatam in cavitatem narium deduci posse dicunt. Quae simulatque e naribus prodeunt, de canali adhuc aperto testantur. Interdum vero humor sacco lacrymali contentus inde non profluit, nulla tamen obliteratione, sed angustatione tantum prostante. Cujus utriusque ut certiorem medicus sese faciat, tentandum erit, utrum specillum capitatum in orificium canalis nasalis superius penetret. Hoc ubi est,

modo inferiorem hujus partem obliteratam ideoque de via naturali aperienda non penitus dubitandum esse, merito colligimus. Contra, canali naturali utique non reperiundo, recens efformari debet.

De via nova per os unguis terebranda diversa instrumenta laudata sunt, quorum acum triquetram, cannula argentea instructam, omnium optimam censeo. Verum tamen, quaecunque hucusque nobis inotuerunt instrumenta hujus generis, adeoque ea, quae Bellium et Schmidtium laudatores habent, eatenus nocent, ut simulatque clavus ad os unguis dextre perforandum dirigi debeat, arcus superciliaris justo longius promineat. Fieri igitur nequit, ut durante perforatione instrumentum directionem omnis damni, quod inde ossi ethmoideo imminet, expertem servet. Eam quidem ob causam ill. *Graefe* acu triquetra utitur, curvaturam habente, quae, dum os unguis perforatur, arcum superciliarem recipit. Ceterum instrumenti pars ea, quae in canalem recens terebrandum penetrare debet, tenuior sit reliqua parte curva atque inde a mucrone usque ad curvaturae initium pollicum quinque et quadrantis longitudinem, linearum vero quatuor diametrum habeat, necesse est. Curvatura incipere

debet ab incisura praecurrente, cui cannula adjacet, ne justo altius protrudi possit. Curvatura finita, quae pollicis unius et dimidii longitudinem aequet, stilus perpendiculariter in manubrium transeat. Cannulae diameter linearum quinque dimidiaeque latitudinem habere debet. In extrema eaque superiore ejusdem parte laminula instructa sit ad latus utrumque excisuram habente, ut faciliore negotio prehendi possit. Similiter et cannulae pars inferior excisuram habeat, quae tertiam longitudinis totius partem explens huic usui inservit, quo facilius elater chalybeus postea ingerendus e cavitate narium prodeat.

Sacco lacrymali, ut supra positum est, aperto, instrumenti modo descripti manubrium manu universa, pars autem laminulae tenuior pollice digitoque indice prehenditur atque mucro cannula opertus loco perforando admovetur. Quo facto cannula retro apicem traducitur osque ea, qua depressius est, parte fere perpendiculariter perforatur. Eadem encheiresi uti licet ductu nasali modo partialiter intercluso, attamen specillo immisso penitus reluctante.

Verum enim vero hoc in casu instrumenti clavum non aliam, nisi ex toto perpendicularem, directionem habere convenit. Finita perforatio-

ne, clavus cannula eximitur in eamque elater chalybeus incurvatus ex inventione Giraulti q) immittitur. Ejusdem per fenestram filum sericum duplex, cui chorda musica alligata fuerit, traducitur cum eaque ductui nasali ingeritur. Simulatque instrumentum in cavitatem narium pervenerit, ex eadem sanguis mucusque profluet, nec non ore aegri clauso humores e naribus prodeuntes spumam edent. Certius autem hoc canalis aperti indicium est, ubi liquores in cannulam injecti per nares faucesque rursus defluunt, quo facto haec extrahitur et utraque chordae immissae pars extrema eo, quo decet, loco emplastri ministerio partibus vicinis agglutinatur.

Quidam e. g. *Schmidt* r) credunt, acu triquetra cum cannula immissa verendum esse, ne os lacrymale minutim diffindatur: quod quominus accidat, acum oportet paracenticam cannulae accurate adaptari, infimae autem, e qua eminet acumen, partis diametrum cannulam paullulum superare, ut haec acutas acus paracenticae oras statim, ubi incipiunt, artissime amplectatur.

---

q) vid. Himly et Schmidt Ophthalmolog. Bibl. 2. Bd. 2. St. pag. 288. Tab. 2. Fig. 1. 2.

r) l. c. pag. 34.

§. 13.

De curatione post operationem.

Patefacta igitur rursus via in aperiendo naturali ductu ea, qua diximus, ratione agendum est. Perforato osse nasali, itidem chorda ex intestinis contorta immittitur, ac paullatim augetur, usque dum actus reproductionis intrinsecus sit finitus, quo facto cannula aurea ingeritur, quae foramini nunc exorto respondeat.

Hujus autem cannulae complura exstant genera. Primae et antiquissimae sunt, quas *Wathen* [s]) proposuit conicas; aliae deinde ad formam infundibuli; denique, quae ventre et collo instructae sint etc. etc. [t]).

Woolhuysen [u]) cicatrisationem ductus immittenda cannula metallica assequi vult, ita ut altera deinde in sanato vulnere remaneat. Alii idem diversis modis efficere sunt conati [v]).

Aptissimam autem harum omnium et quae omnibus indicationibus congruat *Richterus* nobis commendavit cannulam. In summa ejus parte

---

s) on the fist, lacrym.

t) v. Bell. l. c. Tab. 5. et 6.

u) Platner l. c. f. 879.

v) vid. Schreger l. c. pag. 56.

parvum fiat foramen, sic ut filum perducas, cujus ope, si necesse sit, cannula rursus retrahatur; vel etiam addenda est in eundem finem in collo cannulae concha trochleae. Cannula autem sub levibus rotationibus inferri debet et primo statim impetu satis alte descendere, ita ut margo ejus in telam cellulosam penetret ab eaque operiatur. Aegrotum vero jam maxime quietum sese gerere oportet et, quantum fieri potest, sibi cavere ne tussiat aut nares emungat. Vulneri dein emplastrum adhibetur semilunare, quominus aër accedat et crusta innascatur. Tertio vel quarto die cannula immota inhaerescit jamque adjuvanda est cicatrisatio quae plerumque ipsa natura perficitur. Fac autem partes saucias in cavitate narium crusta obduci vel obstrui, aliquoties de die aegroto aqua frigidior per nares erit haurienda; quod si incassum fecerit, aut specillum a la Forest inventum in cannulam immittendum erit aut omnino injectiones faciendae. Saepe vero aperto etiam ductu nasali os lacrymale perforetur necesse est, si quidem aegrotus continua oculi lacrymatione vexatur; quod in distensione et atonia sacci lacrymalis accidere videmus, ubi tonum huic congruum nulla prorsus ratione reddere valemus, utpote cum saccus lacry-

malis ea, qua opus est ad lacrymas in ductum nasalem transmittendas, vitalitate destitutus sit.

§ 14.

De destructione structurarum sacci lacrymalis desorganisatarum earumque, quae intra ejus fines sitae sunt.

At enimvero destructio organica in hisce partibus pedem ubi fixit, inde altius descendens in partes osseas cariem excitat. Contra nonnunquam vitium ex ossibus ortum ad partes organicas molliores transit. Destructione opus est, ubi desorganisatio dycrasiam secuta est. Quamvis enim diathesis morbosa interdum permaneat, tamen cavendum est, ne vitium locale latius propagetur. Quod si ossis lacrymalis caries simul accesserit eaque e dyscrasia miasmatica et cacochymica ortum sumserit, plerumque vicina quoque ossa affecta sunt. Quae si ob dycrasiam syphiliticam aut scrophulosam una vitiata sunt, neglecta plane fistula ad causam morbi, dycrasiam nempe, maxime attendendum eaque ex natura sua curanda est. Praeterea accedere debet topica ossium cariosorum curatio. Promoveatur locorum cariosorum exfoliatio; qua peracta et carie

sublata demum perforetur, nisi jam sit hac ipsa peresum, os lacrymale et deinde ea, qua diximus, ratione curetur.

Ad abolendas partes illas destructas cauterium actuale et potentiale laudatur: Illud denuo suasit Scarpa; x) attamen ossi potius lacrymali adhibendum, quam degeneratis sacci aut ductus lacrymalis partibus. Quid autem mali hic afferat cauterii actualis usus, jamdudum satis demonstratum est, idque equidem non repetam. Potentialia cauteria magis juvabunt, praesertim cum vitium commune jam cesserit. Neque inutilis erit medicina, quae ex hydrargyri muriatici corrosivi partibus sex et una pulveris gummi mimosae composita, superveniente aqua destillata in unguenti formam redacta fuerit. Cujus aliquantulum plumaceolo illitum partibus vitiatis adhibetur. Ductu nasali adhuc aperto, cujus membranae in hac rerum conjunctione numquam non simul morbo afficiuntur, fili lintei particula, quae pollicis unius longitudinem aequabit, unguento modo memorato, illinatur, usque dum cereolae crassitiem impetraverit, ac siccata deinde in ductum nasalem immittatur. In parte ejus

---

x) Malad. des yeux T. I, p. 78.

inferiore ad linearum circiter quatuor distantiam unguentum abradatur, ne hoc membrana pituitaria inflammetur; quod sane ægroto gravissimos dolores parit. Dissoluto postmodum cauterio, gravis supervenit inflammatio, quae dimidiam propemodum totius capitis partem occupat, aegerque febre corripitur; cui ex natura sua resistendum est. Cauterium partibus organicis penitus annectitur atque intra diei unius spatium eschera exoritur, quae non ita post frustatim e ductu nasali egrediens destructionem partium vitiatarum secutam indicat. Crustis nullis amplius secedentibus ulcereque undique puro, cannula aurea immitti atque vulnus ad cicatricem perduci debet.

THESES.

1.

Suppuratio nunquam absque inflammatione accidit.

2.

Arthritis morbum sui generis constituit cum rheumatismo minime confundendum.

3.

In morbis magnis, hominem celeriter e medio tollentibus, cura symptomatica radicali initio praeferenda.

4.

In mania ex ventre orta purgationes validae ad morbum sanandum levandumque plurimum conferunt.

5.

In morbis latentis ingenii, nisi vita periclitatur, provida rerum exspectatio curationi praecipiti semper praestat.

6.

Caloris et frigoris effectus in entia organica relativi, mox vires augent, mox debilitant.